



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 6. Utrùm Semipelagiani admiserint necessitatem interioris gratiæ
prævenientis, ad fidem inchoatam, & ad orationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

viribus voluntatis, iuvaret gratia volentem, hos autem, amissis & perditis viribus, credentes tantum non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes. Ex quibus verbis sic argumentaberis. Semipelagiani docuerunt gratiam utriusque status in hoc differre, quod una, nempe gratia status naturæ innocentis, adjuvaret tantum ad volendum; altera verò, nempe gratia status naturæ lapsæ, prostratum hominem erigat, & suffulciat ambulantes. Atque gratia adjuvans tantum, est gratia non dominans, nec necessitans; gratia verò prostratum erigens, & suffulciens ambulantes, non est nisi gratia dominans & necessitans. Ergo, &c.

R. neg. min. Quasi verò gratia non possit prostratum erigere, & ambulantes suffulcire, nisi dominando voluntati, eamque necessitando ad volendum & agendum. Quasi verò gratia, quæ prostrato & infirmo non solum ostendit qua surgendum & ambulandum est, verum etiam ad surgendum & ambulandum vires necessarias subministrat, non possit rectè & propriè dici prostratum erigere, & ambulantes suffulcire; quamvis non ita dominetur voluntati hominis prostrati & infirmi, ut eum necessitet ad surgendum & ambulandum, hoc est, ut eum irresistibiliter flectat ad bonum, sicut oportet, volendum & operandum.

Itaque verba Hilarii significant, Semipelagianos discrimen gratiæ, quæ data est homini innocenti, à gratia, quæ datur homini lapsò, constituisse in eo, quod gratia homini innocenti data, eum sive ad incipiendum, sive ad perficienda bona opera adjuvaret tantum, ostendendo scilicet quid esset agendum: gratia verò, quæ homini lapsò datur, ad bona virtutum opera etiam incipiendum non solum adjuvet, ostendendo quid faciendum sit, sed etiam prostratum erigat, suffulciat ambulantes, vires subministrando, sine quibus in hoc ægritudinis statu nec perficere, imò nec incipere possumus virtutum opera.

Talis autem discriminis hanc reddebant rationem, quod voluntas Adami in statu innocentie integris esset viribus, adeoque non indigeret actuali auxilio, ipsam intemè & immediatè afficiente & corroborante: voluntas verò nostra per peccatum Adami ita sit sauciata atque debilitata, ut nequidem incipere possit opera virtutum sine actuali adiutorio interioris gratiæ, ipsam intemè & immediatè prævenientis, excitantis, inclinantis, delectantis, & delectando corroborantis contra importunos rebellantis concupiscentiæ motus.

Totum autem hoc discrimen gratiæ utriusque status catholicè asserbatur à Massiliensibus, nec in hoc erant Semipelagiani, sed in eo, quod vellent erigentem & suffulcientem gratiam, in statu naturæ lapsæ, ad virtutum opera tum perficienda, tum etiam incipiendum necessariam, retribui merito fidei elicite ex solis viribus naturæ sine adiutorio gratiæ interioris; nollentque liberum hominis arbitrium per Adami prævaricationem esse adedè depravatum, ut non posset se solo, & absque interiore gratia præveniente, ipsum immediatè adjuvante, velle, credere, sanitatem desiderare, ad medicum suspirare, petere, quærere, pulsare, & quærendo, petendo, pulsando, promereri interiorem gratiam inspirationis, quæ prostratum erigeret tangendo & excitando, atque ambulantes suffulciret roborando, & immediatè adjuvando ad sanitatem assequendam, virtutumque opera incipienda & perficienda.

Obj. 2. Semipelagiani, teste S. Augustino fatebantur omnia virtutum opera esse dona Dei. Atque virtutum opera non sunt dona Dei, nisi fiant ex gratia dominante voluntati, eamque necessitante ad volendum & operandum bonum. Ergo, &c. R. neg. min. Quasi verò opera virtutum non sint sufficienter dona Dei, hoc ipso quod non fiant à voluntate, nisi Deus eam sua interiore gratia præveniat, excitet, inclinet, roboret, & immediatè adjuvet ad illa exercenda? Ex eo igitur quod Semipelagiani confessi sunt omnia virtutum opera esse Dei dona, malè & pessimè infertur

Simonnet Theol. Tom. II.

eos interioris gratiæ dominantis & necessitantis agnovisse necessitatem. Sed ex occasione data.

Nota obiter. Actus salutaris, qui fit à voluntate, præventa à gratia, est donum Dei, & à fortiori, ipsa quoque gratia, à qua prævenitur voluntas, est donum Dei, sed magno cum discrimine: gratia enim, qua voluntas prævenitur, est Dei donum tantum, seu, quod idem est, est purum Dei donum. At actus salutaris, qui fit à voluntate, præventa à gratia, non est Dei donum tantum; nam sic est donum Dei, ut sit etiam nostrum meritum. Ratio autem hujus discriminis alia esse non potest, quam quia Deus donat gratiam voluntati, ipsam voluntatem antecederet & irresistibiliter flectendo & applicando ad productionem motus indeliberati amoris, vel desiderii, in quo gratia consistit: at donat actum salutarem voluntati, non ipsam prædeterminando & necessitando ad productionem actus salutaris, sed per indeliberatum illum amoris vel desiderii motum, ad quem eam prædeterminat & necessitat ex absoluta & efficaci actus salutaris obtinendi intentione, tangendo & movendo illam, quomodo ei aptum est, ut actum salutarem velit producere, & producat ex propria determinatione: unde fit, ut actus salutaris sit suus Dei, ut gratuito efficientis illum per voluntatem à se tactam & motam, quomodo novit illi congruere, ut ex propria determinatione velit & operetur tale bonum, & suus voluntatis, non solum physicè, ut suus est indeliberatus gratiæ motus, sed etiam moraliter, & in ordine ad imputabilitatem, quia voluntas sub congrua Dei motione totam suam servat activam indifferentiam, seque ipsa ad actus productionem determinat; quanquam non ex suis solis, sed ex suis & motionis divinæ viribus simul & indivisibiliter se ipsa determinet. Hinc actus salutaris, quem producit voluntas, sic est Dei donum, ut sit etiam proprium voluntatis meritum.

ARTICULUS VI.

Utrum Semipelagiani admiserint necessitatem interioris gratiæ prævenientis, ad fidem inchoatam, & ad orationem.

RESPONSIO.

Non admiserunt, sed è contra docuerunt naturales liberi arbitrii vires sufficere ad fidem initialem, sanitatis desiderium, & orationem.

Prob. S. Augustinus circa fidem inchoatam in eo errore aliquando fuit, in quo postea fuisse Semipelagianos; quia videlicet eodem sensu, quo illi postea putarunt, ipse purabat fidem inchoatam non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis. Atque S. Augustinus putabat fidem inchoatam non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, quia purabat nos credere sine adiutorio interioris gratiæ voluntatem prævenientis, & ad credendum nos alia non indigere gratia, quam externa gratia prædicationis Evangelii, qua concessa, possemus ex solis arbitrii & naturæ viribus credere, credentes orare, & orando impetrare interiorem gratiam prævenientem, & ad temperanter, iustè, pieque vivendum in hoc sæculo necessariam. Ergo Semipelagiani postea similiter errantes circa fidem initialem, putabant eam non donari à Deo, sed à nobis esse in nobis, quia putabant nos credere sine adiutorio interioris gratiæ, neque nos ad credendum indigere, nisi externa gratia prædicationis Evangelii, qua præsupposita, possemus ex solis arbitrii & naturæ viribus credere, credentes, &c. adeoque manifestè falsum est, Semipelagianos interioris gratiæ etiam repudiabilis & frustrabilis ex natura sua ad fidem imperfectam & alia iustitiæ & salutis initia, necessitatem admisisse. Conseq. pater.

Prob. 1. Major ex ipso S. Augustino, qui lib. de præd. Sanct. c. 3. relatis his Apostoli verbis: *Quid habes, quod non accepisti?* sic prolequitur: *Quo præcipue testimonio etiam convictus sum, cum similiter errarem,*

rem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & iuste & pie vivamus in hoc saeculo. Aliquando igitur S. Augustinus circa initium fidei erraverat eodem modo, quo Semipelagiani errabant postea, & eodem modo erraverat, quo postea errabant illi; quia sicut illi putabant postea, ita & ipse putaverat, fidem initialem non donari à Deo, sed à nobis esse in nobis; & eodem sensu putaverat; alioquin non similiter errasset.

Prob. 2. min. ex eodem loco S. Doctoris, ubi exponens quo sensu putaverit fidem non donari à Deo, sed à nobis esse in nobis, sic loquitur: *Neque enim fidem putabam Dei gratia praeveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, si non praecederet praeconium veritatis. Ut autem predicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & in nobis ex nobis esse arbitrabar.* Itaque cum erraret S. Augustinus circa fidem, putans eam non esse donum Dei, sed in nobis esse ex nobis, putabat non esse donum Dei, sed in nobis ex nobis esse; quia putabat ad eam, praeter naturales liberi arbitrii vires, nihil aliud praeterquiri, quam externam veritatis Evangelicæ propositionem, adeoque eam nullatenus pendere ab interiore gratia praeveniente, hoc est, ab interiore gratia, voluntatem excitante, inclinante & corroborante, saltem natura prius, quam Evangelicæ veritati nobis proposita consentiremus, aut etiam consentire possemus.

Confirm. Resp. Semipelagiani negabant fidem praeveniri gratia; nam simili modo circa fidem antea erraverat Augustinus, quia fidem gratia praeveniri negaverat. Unde Semipelagiani consequenter errando, docebant initium salutis esse, non ex Deo, qui salvat, sed ex hominibus, qui salvantur, cum non gratia libero arbitrio, sed liberum arbitrium gratiae praeteret, credendo scilicet & orando; atque ita non gratia liberum arbitrium sibi subiceret, ipsum praeveniendo & praeparando etiam ad primos actus salutares, sed est contra liberum arbitrium merito credulitatis & orationis sibi accerferet auxilium gratiae ad exercenda virtutum opera; Cum in his, inquit Prosper in sua ad Augustinum epistola, qui tempus acceperunt liberae voluntatis, duo sint, quae humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse, quam gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat; & voluntas hominis divinae gratiae sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subiciat voluntatem. Ergo falsum est, quod Semipelagiani interioris gratiae ad credendum necessitatem agnoverint.

Dices. Semipelagiani tantum negarunt fidem praeveniri gratia dominante, & necessitante ad credendum. *Resp.* hoc esse falsum; nam simpliciter negarunt fidem praeveniri gratia, interiore scilicet, adeoque sentiendi sunt negasse fidem praeveniri interiore gratia, sive dominans sit & necessitans, sive non, sed repudiabilis sit & frustrabilis ex natura sua. *Prob. tamen propositio negata.* Semipelagiani tantum negarunt fidem praeveniri ea interiore gratia, quae humanam sibi subicit voluntatem. Gratia autem quae humanam sibi subicit voluntatem, alia esse non potest, quam gratia dominans & necessitans, seu irresistibiliter flectens & applicans ad volendum. Ergo, &c.

R. neg. min. Nam gratia, quantumvis repudiabilis & frustrabilis ex natura sua, sed congrua, verè subicit sibi voluntatem humanam. *Nota.* Hoc ipso gratia rectè dicitur sibi voluntatem humanam subicere, quam ita praevenit, ut ab ea consensum exprimat. Potest autem gratia duplici modo à voluntate consensum exprimere, nimirum vel ita movendo voluntatem ad volendum, ut non possit non velle in sensu composito motionis, quae proinde talis est, ut aut tollat, aut saltem liget activam voluntatis indifferentiam: vel è contra ita movendo voluntatem ad volendum, ut voluntas possit non velle etiam

in sensu composito motionis, quae proinde talis est, ut intactam & expeditam relinquat activam indifferentiam voluntatis. Primo modo consensum à voluntate exprimit gratia dominans, & ex natura sua irresistibilis atque infustrabilis; secundo verò modo gratia, ex natura sua repudiabilis & frustrabilis, seu congrua. Utraque itaque gratia humanam voluntatem sibi subicit, sed diversimodè; una scilicet tollendo, aut saltem ligando, altera verò integram & expeditam relinquendo arbitrii libertatem, & activam voluntatis indifferentiam.

Semipelagiani igitur simpliciter negantes fidem praeveniri gratia, quae humanam sibi subiceret voluntatem, repudiabilis aequè ac irrepudiabilis gratia praevenientis ad credendum necessitatem rejecerunt, volueruntque, supposita veritatum Evangelicarum praedicatione, superstities ex primi hominis ruina liberi arbitrii vires ad credendum sufficere. Quod aliunde tam evidens est ex testimoniis Hilarii, Prosperi, & S. Augustini supra relatis art. 4. §. 1. ut jure mirari possimus Janseium, quod veritus non sit contrarium scribere.

Dices tamen adhuc. Quomodo gratia repudiabilis, etiam congrua, dici potest humanam sibi subicere voluntatem? cum ipsa è contra, hoc ipso quod repudiabilis est, subjecta sit humanae voluntati? *Resp.* ad hunc modum loquendi, ad confutandam dogmati Catholico invidiam à Janseio inventum, si per to gratiam humanam voluntatis subjectam esse, nihil aliud intelligis, quam gratiam talem esse, ut voluntas sub illa retineat integram & expeditam vim se ipsam determinandi ad utrumlibet, atque ita voluntas sub illa possit pro arbitrio velle, vel non velle; operari, vel non operari bonum, ad quod inclinatur ab illa; breviter, si per to gratiam subjectam esse voluntati humanae, nihil aliud vis, quam gratiam esse talem, ut voluntas ejus motioni obtemperare, vel refragari; consentire, vel dissentire possit pro arbitrio; non diffiteor gratiam repudiabilem, etiam congruam, hoc sensu improprio subjectam esse voluntati humanae; sed addo, gratiam repudiabilem congruam, sic humanam voluntati improprie subjectam, ipsam voluntatem humanam sibi verè & proprie subicere, eam movendo, quomodo aptum est, ut ab ea, quantumvis activè ad utrumlibet indifferente, re ipsa consensum exprimat.

Addam adhuc. gratiam congruam ex eo quod sit ex se repudiabilis, seu impossibilis cum negatione consensu ad quem movet, malè & perperam dici subjectam voluntati humanae. Ratio est, quia gratia congrua se habet ad voluntatem humanam, ut movens ad motum, & consequenter ut causa superior & principalis ad inferiorem & instrumentalem. At non movens moto, sed motum moventi, nec causa superior & principalis inferiori & instrumentali, sed inferior & instrumentalis superiori & principali subicitur. Ex eo igitur quod gratia congrua ex se repudiabilis est, & frustrabilis, non voluntati humanae subjecta, sed humanae voluntatis exigentiae accommodata dici debet.

Quod autem hic dico de gratia congrua in specie, intelligi quoque debet de gratia repudiabili in genere, praecindendo ab ejus congruitate, vel incongruitate; nam ex eo quod non dominatur voluntati, nec eam antecederet & irresistibiliter obligat ad alteram partem contradictionis, tam frigide & frivole dicitur voluntati subjecta, quam frigide & frivole voluntati subjecta diceretur recta ratio, ex eo quod voluntas possit pro arbitrio facere, vel non facere id, quod faciendum esse recta ratio dicat, atque ita voluntas possit pro arbitrio obtemperare, vel refragari dictamini rectae rationis. Itaque sicut, quantumvis voluntas possit rectae rationis ductum sequi, vel non sequi pro arbitrio, non recta ratio voluntati, sed voluntas rectae rationi subjecta est; ita, quantumvis voluntas gratiae repudiabilis motioni obsequi, vel non obsequi pro arbitrio possit, non gratia repudiabili voluntati, sed voluntas gratiae repudiabili voluntati, sed voluntas gratiae

repu-

repudiabili subiecta est: quia sicut non regula regulato seu regulando, sed regulatum seu regulandum subest regulæ; ita non causa movens motum, sed mota moventi subest.

Dices denique. Gratis & absque fundamento dicerentur Semipelagiani negasse fidem præveniri gratia repudiabili: nulla enim illis esse potuit causa id negandi: cum omnibus manifestum sit, gratiam repudiabilem libertati indifferentiæ non adverari. Ergo, &c. *Resp.* neg. ant. & ejus prob. & dico, Semipelagianos non unam, sed plures in suis principiis habuisse causas negandi fidem præveniri interiore gratia, etiam repudiabili. Nam si fides prævenitur gratia etiam repudiabili, hoc est, si non possumus, potentia scilicet ad actum reducenda, seu, quod idem est, si nunquam credimus sine adiutorio gratiæ etiam repudiabilis, quia Deus movet nos, quomodo nobis aptum est, ut credamus, 1. non est in potestate hominis gratiam illam, sine qua bonum nec volumus nec operamur perseveranter, arripere; cum non sit in potestate hominis habere gratiam illam repudiabilem, sine qua non creditur, atque ita non sit in potestate hominis habere credulitatem, cujus merito arripiat gratiam illam, &c.

2. Cum Deus non omnibus, sed aliquibus tantum det gratiam repudiabilem, quæcum creditur, & sine qua non creditur, dando hanc gratiam his, & non aliis, erit acceptor personarum.

3. Deus convincitur non velle æqualiter & indifferenter salutem omnium hominum.

4. Qui credit, non se discernit ab eo, qui non credit; sed antequam crederet, discretus fuit à Deo, accipiendo gratiam repudiabilem, qua ad credendum vocatus est, quomodo ei congruebat, ut crederet.

5. Initium salutis non est ab homine, sed à Deo, qui, quos vult vocat, & quos non vult, non vocat interius, quomodo illis congruit, ut credant, & merito credulitatis arripiant gratiam illam, sine qua non volumus & operamur bonum perseveranter: quod quandam hominibus exhibet salutis desperationem.

6. Tollitur utilitas exhortationum & comminationum: nam sive fiant exhortationes & comminationes, sive non, quo Deus per gratiam suam repudiabilem vocaturus est, quomodo eis congruit, ut credant, certissime credent; quos verò non sic vocaturus est, certissime non credent.

7. Nihil in homine lapso supererit ex primæva illa libertate, quæcum homo in statu innocentie bonum sibi per illustrationem propositum velle & operari poterat absque immediato voluntatis adiutorio: unde fiet, ut homo lapsus nequidem initia iustitiæ & salutis habeat in sua potestate, quia nequidem adhuc initia sufficiat arbitrii libertas, qualis nunc est, & aliunde internum gratiæ repudiabilis auxilium, sine quo in præfenti statu non ponuntur, non est in potestate hominis. Ex his vides quot capitibus Semipelagianorum doctrinæ repugnat interioris gratiæ etiam repudiabilis necessitas ad credendum, adeoque illam rejiciendi non defuisse causas Semipelagianis.

Obj. 1. Cassianum, unum è Semipelagianorum ducibus. Hic autem, collatione 3. c. 4. sic loquitur: *Ex Deo quidem est (vocatio) quoties inspiratio quedam, immissa in cor nostrum, nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vite ac salutis excuscat, Deumque sequi, & ejus inherere præceptis, compunctione saluberrima cohortatur.* Et collat. 13. c. 3. *Quibus manifestè colligitur, non solum actum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi.* Agnovit igitur Cassianus interioris gratiæ prævenientis fidem, aliæque iustitiæ & salutis initia, quæ libero arbitrio attribuebant Semipelagianis.

R. hoc negando. Nam in primo loco Cassianus dicit tantum, interiorem gratiam inspirationis in nobis

Simonet Theol. Tom. II.

nonnunquam prævenire & excitare desiderium salutis; non verò dicit, quod fides & desiderium salutis non possint esse, nisi præveniantur interiore gratia inspirationis. Præterea, quod non semper præveniantur, expressè docet collat. 13. c. 11. his verbis: *Si gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæis fide, quid de illius in cruce Latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quandam regnis celestibus inferentes, specialia vocationis monita prævenierunt?* Ecce apertè ait in Zachæo & Latrone fidem, pia desideria, pioque conatus, ex solis arbitrii viribus profecta, prævisse interiori gratiæ inspirationis, eamque promerita esse.

Secundus locus sensum planè catholicum continet, si secundum obviam verborum significationem accipiat. Dico, si secundum obviam, &c. Nam in hoc loco Cassianus aliquas voces procul dubio subintelligit, & sensus ejus hic est: *Manifestè colligitur non solum actum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse quandoque principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis identidem inspirat, &c.* Possent fortasse his vocibus, quandoque, identidem, substitui istæ, sæpè, ut plurimum. Quod autem noli, nobis semper à Deo initia sanctæ voluntatis inspirari, & semper ex interiore Dei gratia cogitationum & actuum salutarium principium esse, patet ex pluribus subsequenibus capitibus ejusdem collationis 13.

Cap. 8. sic loquitur: *Cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emeruisse.* Et cap. 9. *Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est, dicens: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Et cap. 11. sub finem: *Cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat.* Et cap. 13. *Ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit, ac defendit, ut nonnunquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigit, vel expectet, ne penitus dormienti, aut inerti otio dissoluta sua dona conferre videatur.* Quare jure merito S. Proiper in libro contra Cassianum edito, qui inscribitur, *Liber adversus Collatorem, Cassiano suam in doctrina inconstantiam exprobat: Doctor catholice, inquit, cur professionem tuam deseris? Cur ad famosam falsitatis caliginem, relicta serenissima veritatis luce, devolveris? Quod in querentibus, petentibus, pulsantibus miraris, cur non eidem gratiæ, quæ desideratur, adscribis, constanter scilicet, sed è contrâ modò gratiæ, modò soli naturæ, seu libero arbitrio adscribis? atque ita in rebus ad salutem pertinentibus modò gratiam libero arbitrio, modò liberum arbitrium gratiæ præire dicis?*

Obj. 2. Gennadium in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus, cap. 19. ubi interioris gratiæ repudiabilis prævenientis necessitatem ad initium salutis profiteatur his verbis: *Manet itaque ad querendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, & invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione. . . . Initium ergo salutis nostræ, Deo miserante, habemus: ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: ut adipiscamur, quod, acquiescendo admonitioni, cupimus, divini est muneris: ut non labamur in adepto salutis (id est, justificationis) munere, sollicitudinis nostræ est, & celestis pariter adiutorii: ut labamur (& justificationis gratia excidamus) potestatis nostræ est, & ignavia. Atqui hoc loco Gennadius exponit sententiam Semipelagianorum; cum ipse Semipelagianus fuerit, ut colligitur ex ejus de viris illustribus libro, in quo Cassianum & Faustum Regiensem Semipelagia-*

B 2 nos

nos laudibus extollit, & deprimat Prosperum Catholicæ de gratia doctrinæ defensorem. Ergo Semipelagiani confessi sunt, internæ inspirationis prævenientis necessitatem ad salutis initia, adeoque ad fidem, salutis desiderium, &c.

R. verbis Gennadii citatis, non Semipelagianorum, sed Catholicum dogma de gratia contineri. In illis enim dicit Gennadius, 1. Omnes omnino actus salutare, quibus ad justificationem disponimur, præveniri gratia inspirationis: *Initium salutis nostra, Deo miserante, habemus.* 2. Nos prævenienti inspirationi consentire vel dissentire posse pro arbitrio: *Ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostra potestatis est.* 3. Cum à Deo justificamur, nos gratis justificari: *Ut adipiscamur, quod, acquiescendo admonitioni, cupimus, divini est muneris.* 4. Nostram in statu justitiæ perseverantiam pendere ab interioris gratiæ adiutorio, & à libera cooperatione nostra: *Ut non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostra est, & cælestis pariter adiutorii.* 5. Cum gratiam justificantem per mortalem aliquam culpam amittimus, hoc non Deo, qui neminem deserit, nisi prius ab eo deseratur, sed ignaviæ nostræ, & libertatis nostræ abusu tribuendum esse: *Ut labamur, potestatis nostra est, & ignavia.* Hæc autem placita qui Semipelagiana esse dixerit, non se Catholicum, sed Calvinistam probabit.

Præterea, ex eo, quod Gennadius in suo de viris illustribus libro propensiorum erga Semipelagianos animum ostenderit, perperam colligitur, quod illis confenserit in omnibus: vel si revera Semipelagianorum errores aliquando secutus est, certè dicendus est resipuisse, antequam scriberet librum suum de Ecclesiasticis Dogmatibus, aut denique hic liber, qui extat inter opera S. Augustini, non est Gennadii, sed alterius Authoris, Sanè hunc librum ab homine docto, Catholico, & à Pelagianorum & Semipelagianorum erroribus alieno exaratum esse, vel ex prima ejus lectione manifestum est.

Dices. Semipelagianum se ostendit, qui laborem & sollicitudinem nostram cum adiutorio gratiæ conjungit in negotio salutis, & dicit nostræ potestatis esse, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi. Sed hoc utrumque facit Gennadius loco citato. Ergo, &c. R. neg. maj. alioquin. 1. Synodus Arausica fuit Semipelagiana: nam can. 27. conjungit laborem nostrum cum adiutorio divino: *Hic etiam, inquit, secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* 2. Synodus Tridentina fuit Synodus Semipelagianorum. Nam sess. 6. cap. 5. docet, hominem abicere posse inspirationem divinam; & can. 4. anathematizat eos, qui dicunt, hominem Deo excitanti atque vocanti dissentire non posse, si velit. Itaque Semipelagianos est, non qui laborem & sollicitudinem nostram conjungit cum inspiratione divina, sed qui laborem, & sollicitudinem nostram inspirationi divinæ, non inspirationem divinam labori & sollicitudini nostræ præire docet. Item Semipelagianus est, non qui dicit nostræ potestatis esse, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, sed qui dicit in nostra potestate esse salutiferam inspirationem. Malè ergo Semipelagianorum de gratia doctrinam exponere dicitur Gennadius, vel quicumque alius author est libri citati.

ARTICULUS VII.

Utrum Augustinum inter & Semipelagianos controversia fuerit de gratia irresistibili & infirmitate ex natura sua, seu de gratia dominante & necessitante.

RESPONSIO.

Augustinum inter & Semipelagianos controversia non fuit de gratia dominante & necessitante, sed de necessitate interioris gratiæ prævenientis ad quemlibet actum salutarem, adeoque etiam ad fidem inchoatam & imperfectam.

Prob. ex ipso S. Augustino, qui lib. de præd. Sancti cap. 2. statum controversiæ suæ cum Massiliensibus exponit his verbis: *Prius itaque fidem, qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere, si tamen diligentius id facere possumus, quam in voluminibus tot tantisque fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo; tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tamen angeatur in nobis eo merito quo cœpit à nobis.*

Augustini igitur controversia cum Semipelagianis fuit circa fidem initialem, quam Augustinus cum omnibus Catholicis contendeat donari à Deo; Semipelagiani verò negabant, & volebant illam in nobis esse à nobis, Deumque eam expectare, ad retribuendam ejus merito prævenientem gratiam interiorem, ad omnia virtutum opera necessariam. Ex quo sequebatur manifesta absurditas, interiori scilicet gratiam, qua fitebantur præveniri omnia virtutum opera, quæ proinde dona Dei esse concedebant, interiori, inquam, illam gratiam non esse gratiam, quoniam secundum illos non daretur gratis, & gratia non sit gratia, nisi gratis detur. Cum autem testimonia, ab Augustino in suis contra Pelagianos libris ad probandum fidem esse Dei donum allata, vellemus intelligi Massilienses de actu perfecto fidei, non de inchoato & imperfecto, librum de præd. Sancti scripsit S. Augustinus, ut ostenderet ipsum etiam fidei initium esse donum Dei; quod re ipsa hoc libro executus est, non probando gratiæ irresistibilis & infirmitatis ex natura sua ad credendum necessitatem, sed ostendendo hominem nunquam credere, nisi interiori inspirationis gratia præveniatur, moveatur, roboretur, adjuvetur.

At inquit. Semipelagiani negabant initium fidei donari à Deo, quia volebant ad illud prærequiri gratiæ dominantis & necessitante adiutorium, contendeantque sufficere prævenientem gratiam interiori, ex natura sua repudiabilem. Ergo, &c. R. neg. ant. Negabant enim Semipelagiani initium fidei donari à Deo, quia volebant ad illud sufficere naturales liberi arbitrii vires, adeoque hominem ad incipiendum credere, interioris gratiæ prævenientis auxilio non indigere.

Augustinum igitur inter & Semipelagianos questio non fuit, tantum ad utrum fidei sufficeret interior gratia repudiabilis, an è contra irrepudiabilis requireretur: sed questio fuit utrum ad initium fidei sufficeret Evangelii prædicatio cum naturæ viribus; an verò præterea requireretur interior gratia, non solum illustrationis, sed etiam inspirationis, prævenientis actum credendi, & ad credendum excitantis, atque adjuvantis.

Dices. Semipelagiani negabant fidem esse donum Dei, quia volebant eam à Deo inspirari credentibus. Ergo negabant fidem esse donum Dei, quia volebant eos, qui re ipsa credunt, à Deo necessitari ad credendum, sed solum à Deo ad credendum per interiori gratiam repudiabilem excitari & adjuvari volebant. R. neg. conseq. Neque enim, fidem inspirari credentibus, & credentes necessitari ad credendum, sunt unum & idem. Et verò Catholici omnes profitentur, fidem à Deo inspirari credentibus, & tamen negant credentes à Deo ad credendum necessitari.

Nota. Deus potest credentibus fidem inspirare duobus modis. 1. Necessitando, seu irresistibiliter flectendo & applicando ad credendum. 2. Interius excitando & adjuvando ad credendum. Unde, fidem inspirari credentibus, & credentes necessitari ad credendum, non sunt synonyma, aut convertibilia, sed primum latius patet, quam secundum, & se habet ad illud, ut superius ad inferius. Hinc qui præcisè dicit, fidem à Deo inspirari credentibus, non dicit credentes à Deo necessitari ad credendum. Nam ex affirmatione superioris non sequitur affirmatio unius inf-